Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36641
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

que luceant ex lumine uno (et) non sit discrepantia lucentium. sicut diuer
sitas luminum non est ulla. Claritas autem patris principalis (et) princi
palis dicitur. quia non solum dignitate uel causa lucentibus omnibus
super est. sed etiam excellentior natura. Et hec claritas non est corporalis.
sed spiritualis est (et) spiritualiter lucet. idcirco non nisi inmaterialibus tantum.
i. incorporalibus (et) spiritualibus oculis uideri potest. Quos oculos etiam
non trementes. i. sanos (et) perspicaces. (et) inreuerberatos esse necesse
est. hec sapientia acie tantum lumen intuentes. tenebras sibi ex ipsa
claritate inducant. Merito autem post claritatem angelorum per sa
cra eloquia contemplatam. ad diuinam patris claritatem illumi
namur. quia (et) ipsa nobis angelorum claritas. a claritate patris per
eos in nos descendente ex sacri eloquii reuelatione manifesta
tur. Hoc est quod ait quod angelorum in figuratis simbolis. i. signis
(et) conformacionibus secundum species uisibiles figuratis. manifestat
beatissimas ierarchias. i. principatus (et) potestates (et) dignitates. An
gelorum enim ordines (et) potestates (et) diuine eorum operationes. omnino
inuisibiles sunt. (et) nisi uisibilibus signis. (et) similitudinibus ex uisibi
libus sumptis. demonstrentur. intelligi ab his qui uisibilia tan
tum nouerunt. ne quaquam possunt. Spiritalis patris claritas ad
principale lumen suum nos reparare uolens. primum illumina
tionibus sacri eloquii ad contemplandam angelorum claritatem nos
excitat. (et) ea claritate illuminatos. tandem ad sue claritatis
agnicionem lumenque reformat. ut unum simus in illa qui
unum accipimus ab illa. Hec uero claritas patris unius simplicis ra
dii emissione (et) illuminatione per cuncta se diffundit. (et) penetrat
cuncta. quoniam unam sapientiam pater genuit. per quam cuncta fecit
opera sua. Verbum quippe patris lumen de lumine est. unum
uerbum (et) radius unus. (et) ipsum uerbum sapientia est (et) ipsa sapi
entia lumen est. procedens a quo nata est. una de uno. (et) propterea
radius unus a claritate una. a quo illuminantur qui ad ipsum
reformantur. ut luceant ex ipso (et) lux sint cum ipso sicut ipse
lux est. (et) cum sint multa lumina illuminata uarie dissimilitudine;